

generales concessionones Indulgentiae sunt fidelibus elargitae, nonnullae ex iis Indulgentiis non reperiantur fidelibus defunctis applicabiles, nonnullae vero preces quibus adnexae sunt Indulgentiae, latino tantum vel italico idiomate scriptae sint, et cum pro tertiadecima vice eadem Collectio sit jam jam evulganda, enixis precibus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX rogavi ego infrascriptus Secretariae Sac. Congregationis Indulgentiarum Substitutus in Audientia habita die 30 Septembris 1852 ut de Apostolica Sua benignitate clementer indulgere dignaretur, ut deinceps omnes et singulae Indulgentiae tam in ipsa tertiadecima editione quam in aliis Romae in posterum de licentia hujus Sac. Congregationis evulgandis recensendae, fidelibus etiam defunctis applicabiles esse intelligantur, nec non omnes et singulae orationes in ipsa pariter decimatertia, ac in aliis ut supra continendae, quocumque idiomate, dummodo versiones sint fideles pro Indulgentiarum acquisitione, recitari possint. Itaque Sanctitas Sua praefatis humillimis precibus clementissime exceptis, majori Christifidelium spirituali utilitati prospiciens, maximumque animabus defunctorum solatium afferre peroptans, benigne annuit in omnibus juxta petita. Praeterea Eadem Sanctitas Sua mandavit ut si contigerit eandem Collectionem in aliud verti idioma, hujusmodi versionem typis publicari non posse absque approbatione hujus Sac. Congregationis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Septembris 1852.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Archipr. Prinzivalli Subst.

DCXXIX.

CONGREGATIONIS PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

Ad humillimas preces Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Sanctissimus D. N. Pius PP. IX benigne inclinatus clementer indulsit, ut omnes utriusque sexus Chri-

stifideles cuicumque Sodalitati ejusdem Pretiosissimi Sanguinis adscriptis ac in posterum adscripturis participes sint singulis bonis ac satisfactoriis operibus, quae ab Alumnis utriusque sexus, omnium et singulorum Ordinum seu Regularium Congregationum peraguntur. Insuper Idem Sanctissimus Dominus Noster ipsis Sodalibus vere poenitentibus confessis, ac Sac. Communione refectis, qui aliquam publicam Ecclesiam uniuscujusque arbitrio eligendam in festo B. M. V. sub titulo *Auxilium Christianorum* die 24 Maii inciden. vel in ejus octiduo devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, Indulgentiam Plenariam, fidelibus quoque defunctis applicabilem, incipiendam a primis vespere usque ad totam ejusdem festivitatis octavam, semel tantum spatio praedictorum dierum per unumquemque lucrificandam, benigne concessit; facta quoque Confessariis uniuscujusque Sodalis potestate commutandi in aliis piis operibus supraenunciatam Ecclesiae visitationem, quatenus justa ac rationabilis causa accedat. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Septembris 1852.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEFECTUS
A. Archip. Prinzivalli Substit.

DCXXX.

URBIS ET ORBIS

Ut Sanctissimum Deiparae semper Virginis Mariae Cor magis ac magis ab omnibus veneretur, ac ejusdem Beatissimae Virginis auxilium ferventius imploretur, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX ad humillimas preces Joannis Boncompagni de Urbe benigne inclinatus, clementer indulsit, ut omnes et singuli catholici Orbis Christifideles quoties corde saltem contrito Jaculatoriam « *Dolce Cuore di Maria siate la salvezza mia,* » a Sac. Rituum Congregatione approbatam quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, devote recitaverint, Indulgentiam trecentum dierum lucrari possint et valeant. Iis vero Christifidelibus,

qui quotidie per integrum mensem eandem Jaculatoriam recitare pro more habuerint, Indulgentiam Plenariam semel in quolibet mense, una videlicet cujuslibet mensis die uniuscujusque arbitrio eligenda, qua vere poenitentes, confessi, Sacraque Communione refecti, aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, peramanter est impertitus; facta insuper potestate tam Plenariam, quam Partialem Indulgentiam animabus quoque in Purgatorio detentis applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Septembris 1852

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Archipr. Prinzivalli Subst.

DCXXXI.

URBIS ET ORBIS

SEU

ORDINIS CAPPUCINORUM

Cum praeter diem in Ecclesia Universali statutam pro speciali animarum in Purgatorio existentium solatio, humillime exposuisset R. P. Procurator Generalis totius Ordinis Seraphyci Cappuccinorum in eorum Statutis aliam esse diem adsignatam, quintam scilicet Octobris, vel ea juxta Rubricas impedita, unam aliam infra Octiduum S. Francisci pro Commemoratione omnium de eorum familia defunctorum, in qua specialia suffragia praesertim in ipsius Ordinis Ecclesiis Religiosis defunctis tribuuntur atque idem Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX enixis precibus rogasset, ut de Apostolica benignitate praefati Ordinis Ecclesias aliqua speciali Indulgentia ditare dignaretur, Sanctitas Sua referente me Secretariae Sac. Congregationis Indulgentiarum Substituto in Audientia habita die 30 Septembris currentis anni, ejusdem Procuratoris votis clementissime exceptis,

benigne concessit Indulgentiam Plenariam omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac S. Communione refecti, praefata die unam ex Ecclesiis praefati Ordinis devote visitaverint, ac ibi juxta mentem Ejusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint; facta insuper potestate eandem Indulgentiam Plenariam hujusmodi defunctis applicandi. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro, absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Septembris 1852.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Archipr. Prinzivalli Subst.

DCXXXII.

URBIS ET ORBIS

Ad humillimas preces Vincentii Thomae Marchetti a Cora Dioecesis Veliternensis Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito Responsorium cujus initium « *Ostensa quisquis expetit* » cum adnexa oratione in honorem B. Thomae a Cora, latino vel italico idiomate devote recitaverint, vel legere nescientibus ter orationem Dominicam terque Angelicam Salutationem, totidemque *Gloria Patri etc.* Eidem Beato Thomae corde pariter contrito ac devote fuderint, Indulgentiam centum dierum pro qualibet recitatione clementer concessit. Iis vero Christifidelibus qui supraenunciatas preces per integrum mensem recitaverint, Indulgentiam Plenariam semel in quolibet mense, die uniuscujusque arbitrio eligenda, qua vere poenitentes confessi ac Sac. Communione refecti fuerint, et aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, peramanter est elargitus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facienti-

bus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 25 Novembris 1852.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

RESPONSORIUM

IN HONOREM SERAPHYCI BEATI THOMAE A CORA CONFESS. IN ORD. MIN.
DE OBSERVANTIA, ET ABBATIAE SUBLACENSIS APOSTOLI.

Ostensa quisquis expetit

Mirari grandia insolita

Supplex Thomae propitium

Nomen vocet auxilio.

Illi procella sternitur

Vis venti, tellus, pluvia

Dirumque mortis spiculum

Brachio refringit valido.

Queis luce carent oculi

Cuique vox haeret faucibus

Qui curis inops angitur

Suppetias affert facilis.

Illi procella etc.

Nec casus Ejus nutibus

Insontes vexat cladibus

Pallentes morbos abigit

Vitale lumen reficit.

Illi procella etc.

Thoma o colende, moribus

Innocuis da nos instrui:

Da fausta pacis munera;

Da Beata adire limina.

Illi procella etc.

Virtus Decus et Claritas

Sit Patri, sitque Filio

Sit Largitori Flamini

Aevum per omne gloria.

Illi procella etc. Amen.

ORATIO

Deus, qui Beatum Thomam tuo amore succensum interiori mortificatione et eximia in Proximum dilectione decorasti, Ejus meritis, precibusque concede ut nosmetipsos pro Te abnegantes et charitatis opera jugiter exequentes aeterna praemia consequi mereamur. Amen.

DCXXXIII.

URBIS

Ad humillimas preces Procuratoris Generalis ac Pro-Vicarii Ordinis Praedicatorum Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX inclinatus omnibus Confratribus et Consororibus Archiconfraternitatis Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe canonice erectae, revocando Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum interessentibus Processioni in Dominica tertia cujuslibet mensis, et in feria quinta in Coena Domini peragenda elargitam, benigne concessit Indulgentiam Plenariam, dummodo iisdem diebus non modo Sacram Supplicationem comitati fuerint, verum etiam vere poenitentes confessi, ac Sac. Communionem refecti, aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint; ac similiter revocata Indulgentia centum dierum iisdem Sodalibus pro visitatione Sanctissimi Sacramenti ubi asservatur in feria quinta Majoris Hebdomadae concessa, clementer elargitus est Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel tantum ea die lucrificandam si corde saltem contrito ac devote ipsum Sanctissimum Sacramentum visitaverint, ac pariter ut supra oraverint. Et tandem Eadem Sanctitas Sua Indulgentiam septem annorum septemque quadragenarum pari benignitate praedictis Sodalibus est impertitus unica dumtaxat vice singulis anni diebus acquirendam, si corde saltem contrito in aliqua Ecclesia, seu publico Oratorio vespertinis horis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum visitaverint, et juxta enunciatis fines oraverint; facta quoque potestate easdem Indulgentias animabus

fideliū defunctorum applicandi; ipsasque coeteris Sodalitatibus praefatae Archiconfraternitati aggregatis, ac in posterum aggregandis communicandi. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 13 Junii 1853.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXXXIV.

URBIS ET ORBIS

Ut erga Sanctum Camillum de Lellis magis ac magis in Fidelium Cordibus augeatur devotio P. Philippus Develaschi Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium Pro-Praefectus enixis precibus rogabat Sanctissimum D. N. Pium PP. IX ut proprio Exercitio septem Dominicarum in honorem ejusdem Sancti iterum excitato nonnullas Indulgentias de thesauro Ecclesiae elargiri dignaretur. Oratoris precibus clementissime susceptis Idem Sanctissimus Dominus Noster benigne indulsit, ut omnes utriusque sexus Christifideles quocumque anni tempore per septem consecutivas Dominicas vel publice vel privatim aliquas pias preces in Sancti Camilli honorem fundentes, dummodo sint corde saltem contrito Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel in unaquaque ex septem Dominicis lucrari possint, et valeant; iis vero Christifidelibus qui in septima Dominica praeter pias preces ut supra recitandas, etiam vere poenitentes confessi, ac S. Communione refecti fuerint, et aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, Plenariam dumtaxat Indulgentiam peramanter est imperlitus, cum facultate quoque tam Partialem, quam Plenariam Indulgentiam fidelium defunctorum animabus applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1853.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXXXV.

ORDINIS CISTERCENSII

Ad humillimas preces Reverendissimi D. Theobaldi Cesari Abbatis Monasterii S. Bernardi de Urbe ac totius Ordinis Cistercensium Generalis Procuratoris Sanctissimus D. N. Pius PP. IX benigne inclinatus, omnibus utriusque sexus Christifidelibus Sacro Novendiali festum S. Bernardi Abbatis et Ecclesiae Doctoris immediate praecedenti in quacumque ipsius Ordinis Cistercensium Ecclesia peragendo interessentibus, quo die corde saltem contrito ac devote interfuerint, Indulgentiam tercentum dierum peramanter est elargitus. Iis vero Christifidelibus, qui praefato Novendiali quinquies jam interfuerint, Indulgentiam Plenariam semel tantum acquirendam vel in ipso Novendali, vel in festo et octiduo ejusdem Sancti, si ea die vere poenitentes confessi, ac Sacra Communione refecti fuerint, et aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, clementer est imperlitus; facta quoque potestate tam Plenariam, quam Partialem Indulgentiam animabus in purgatorio detentis applicandi. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1853.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXXXVI.

URBIS ET ORBIS

Ad humillimas preces F. Joannis Thomae Ghilardi ex Ordine Praedicatorum Episcopi Montis Vici Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX benigne inclinatus, clementer indulsit, ut omnes utriusque sexus Christifideles lucrari possint Indulgentiam unius anni quoties promoverint cantum spiritualium Laudum quocumque idioma, dummodo versio sit fidelis, et a respectivis Ordinariis approbata, quae a Sac. Congregatione Rituum revisae

sunt in Libello cui titulus « *Novissima scelta di Laudi sagre approvate dal Vescovo di Mondovì ad uso della sua Diocesi. Mondovì presso Pietro Rossi Tipografo Vescovile 1852* » Ac Indulgentiam centum dierum quoties peregerint hoc exercitium, si tamen fuerint corde saltem contrito. Promoventibus vero, et ipsum exercitium peragentibus, Indulgentiam Plenariam in festo Nativitatis Domini vel in ejus octiduo, semel tantum spatio octo dierum per unumquemque Christifidelem lucrificandam, dummodo vere poenitentes et confessi ac S. Communionem refecti, aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint peramanter impertitus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione; facta quoque potestate easdem Indulgentias animabus in purgatorio detentis applicandi. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 29 Novembris 1853.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXXXVII.

URBIS ET ORBIS

Ad humillimas preces P. Procuratoris Generalis Clericorum Regularium de Somascha nuncupat. Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX in Audientia diei 11 Augusti 1851 benigne inclinatus omnibus utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito sequentem Jaculatoriam uti asseritur a Sancto Hieronymo Æmiliani eorumdem Clericorum Regularium Fundatore recitatam « *Dulcissime Jesu ne sis mihi Judex sed Salvator* » quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis devote recitantibus, Indulgentiam quinquaginta dierum pro qualibet ipsius Jaculatoriae recitatione peramanter fuerat impertitus, novis tandem precibus ab eodem Procuratore Generali Sanctissimo delatis in Audientia die 29 Novembris labentis anni Eadem Sanctitas Sua clementer indulisit, ut ipsi Christifideles praefatam Jaculatoriam per integrum annum una saltem vice singulis diebus ut supra recitantes, In-

dulgentiam Plenariam a primis vespere usque ad totum octiduum festi ejusdem S. Hieronymi die vigesima Julii inciden, semel tantum spatio praedictorum dierum ab unoquoque acquirendam, dummodo ea die vere poenitentes confessi, ac S. Communionem refecti, aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint in perpetuum lucrari possint et valeant, cum facultate quoque tam Partialem, quam Plenariam Indulgentiam animabus piacularibus flammis addictis applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 29 Novembris 1853.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXXXVIII.

URBIS ET ORBIS

Plurimorum utriusque Cleri Sacerdotum preces Sanctissimo Domino Nostro PP. Pio IX fuerunt delatae, ut de Apostolica Sua benignitate prorogare, et quatenus opus esset, de novo concedere dignaretur Indulgentias, quae concessae dicuntur iis, qui in honorem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti recitant supradictas pias invocationes « *Anima Christi etc.* » a S. Ignatio de Loyola, uti asseritur, primo recitatas. Cum vero de hujusmodi Indulgentiis nullum extet certum documentum, ac diversis in Libellis diversae asseruntur Indulgentiae pro ipsis invocationibus elargitae, Sanctitas Sua praefatis precibus clementissime exceptis, ac ut magis in dies erga tam Venerabile Sacramentum piae devotionis affectus in fidelium cordibus augeatur, revocata quacumque praecedenti concessione, benigne indulisit, ut omnes utriusque sexus Christifideles, qui corde saltem contrito, ac devote praememoratas invocationes recitaverint, tercentum dierum Indulgentiam pro qualibet recitatione lucrari valeant; ac Indulgentiam septem tantum annorum una dumtaxat vice in die acquirendam,

si eas emiserint Sacerdotes post peractum Missae Sacrificium, caeterique fideles postquam fuerint Sacra Communionem refecti; si vero per integrum mensem semel saltem in die enunciatas invocationes corde ut supra contrito, ac devote effuderint, Indulgentiam Plenariam una die cujuslibet mensis uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes, confessi, sacraque Synaxi refecti, aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Eiusdem Sanctitatis Suae pie oraverint, consequantur, facta insuper potestate eas omnes, Plenariam nempe et Partiales Indulgentias, animabus in Purgatorio detentis applicandi. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 9 Januarii 1854.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

INVOCATIONES IN ONOREM SANCTISSIMI EUCHARISTIAE SACRAMENTI

Anima Christi, sanctifica me.

Corpus Christi, salva me.

Sanguis Christi, inebria me.

Aqua lateris Christi, lava me.

Passio Christi, conforta me.

O bone Jesu, exaudi me.

Intra tua vulnera absconde me.

Ne permittas me separari a te.

Ab hoste maligno defende me.

In hora mortis meae voca me.

Et jube me venire ad te.

Ut cum Sanctis tuis laudem te.

In saecula saeculorum. Amen.

DCXXXIX.

ORDINIS CISTERCIENSIS IN BELGIO

Duplici Constitutione diei 20 Junii et 6 Septembris 1591 sa. me. Gregorius XIV Congregationi Cisterciensi Hispaniae, nec non Congregationi Cisterciensi S. Bernardi in Italia benigne communicavit singula privilegia, quibus aliae ejusdem Ordinis Congregationes fruebantur. Cum vero exortum dubium sit *an Cistercienses Belgii praefatorum privilegiorum participes sint effecti*, D. Robertus Van Ommeren Superior Abbatiae S. Bernardi Ordinis Cisterciensium in Belgio Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX enixe rogavit, ut de Apostolica benignitate, ablato dubio, eandem privilegiorum communicationem Cisterciensibus in Belgio elargiretur; cujus precibus Sanctitas Sua clementer susceptis, benigne annuit in omnibus pro gratia juxta preces. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 13 Februarii 1854.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXL.

URBIS ET ORBIS

Ad preces humillimas Reverendissimi Patris Jacobi Pignone del Carretto Clericorum Regularium Theatinorum Praepositi Generalis Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX benigne inclinatus omnibus et singulis Confessariis in Universo Orbe Catholico existentibus infrascriptam Orationem, antequam ad Sacramentales excipiendas Confessiones assideant, corde saltem contrito, et devote recitantibus centum dierum Indulgentiam semel tantum in die acquirendam, clementer est elargitus. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 27 Martii 1854.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.